

# **S. PETRI DAMIANI S. R. E. CARDINALIS, DOCTORIS ECCLESIAE, OPUSCULUM DE QUADRAGESIMA ET QUADRAGINTA DUABUS HEBRAEORUM MANSIONIBUS.**

## **ARGUMENTUM.**

**Occasione cujusdam qui per quadraginta dies, non modo tunc cum ab Ecclesia sancitum est, sed aliis etiam anni temporibus, cibis lautioribus abstinebat, quadragenarii hujus numeri mysteria et quasdam quasi praerogativas ex sacris litteris colligit. Deinde quadraginta duo loca, in quibus morati sunt paulisper Hebraei antequam ad destinata sibi divinitus arva pervenirent, mystice interpretatur; ita ut per ea virtutum quibusdam gradibus ad perfectionem et felicitatem tendentem, Christiani hominis vitam occulte significari luce clarius ostendat.**

**Reverentissimo fratri HILDEBRANDO, PETRUS  
peccator monachus intimae dilectionis affectum.**

**Quod ego simul et tu, venerabilis frater, vicaria nuper interlocutione contulimus, non otiosum vel superfluum ducimus si per titularis etiam styli seriem digeratur. Dixi siquidem, si oblitus non es, nosse me servum Dei, qui praeter illas Quadragesimas, quae scilicet a Patribus institutae, suisque limitibus per anni circulum sunt praefixae, alias occulte cartinas celebrat, quibus scilicet illices carnalium passionum appetitus frangat, ac prurientes aestuantis illecebrae concupiscentias crucifigat. Modo quippe per quadraginta dierum spatium piscibus abstinet, modo se vel a pomorum, vel etiam olerum, quae sibimet aptiora sunt, perceptione coercescit. Aliquando siquidem cerasorum**

primitias comedit, aliquando peponum, aliquando ficuum vel uvarum, vel quidquid illud est quod delicatius sapit. Sed mox ut gula provocatur, ut comedat, disciplina protinus adhibetur, ne desiderata contingat; et quia quod ardor edendi jam gustaverat, avidius concupiscit, ille protinus frenum abstinentiae faucibus injicit; non utique condemnans cibos quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus; nec ignorans quia omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur (II Tim. IV). Cum omnia scilicet comedere prius incipiat, quanquam esus ille magis ad cruciatum quam ad oblectationis emolumenta proficiat. In hac igitur abstinentia gulae frangitur appetitus, concupiscentiae fervor exstinguitur, non Dei, quod absit! creatura damnatur: et in hoc uberius mercedis fructus acquiritur, quod haec quasi vilium rerum abstinentia non famosa, vel celebris, [sed] et palam geritur, et tamen velut occulta nescitur. Quem videlicet, fratres, si quis cur hoc vel illo cibo non utatur, inquirat; respondet illico quia suis infirmitatibus hunc noxium non ignorat. Quod tamen iste de languoribus animae loquitur, hoc ille de incommoditate corporis arbitratur. Et hanc per singulos illos cibos abstinentiam quadrageno semper dierum, circulo tenere consuevit.

## **DE QUADRIGESIMA ET QUADRIGINTA DUABUS MANSIONIBUS HEBRAEORUM.**

### **CAPUT PRIMUM.**

**Quod in rebus despicabilibus gravior est abstinentia.**

Ipsa quoque mihi nuper confessus es quoniam ideo te funditus a porrorum sive caeparum perceptione compescis, quia videlicet his acuminibus uberius delectaris. In his itaque despicabilibus rebus et gravior

abstinentia, et minor est gloria. Facilius enim carne, quam sale quis abstinet; gravius est abjicere fructus arborum, quam aspersas patinis fragrantias pigmentorum. Quanquam et parentes nostros de paradiso pomum projecerit (Gen. XXXII), non pigmentum. Quia non est in culpa quod pluri emi, sed quod possit avidius concupisci. Sed potiorum rerum abstinentia plausu favoris attollitur, vilium vero contemptus dignus praeconio non videtur. Unde fit ut quod minoris est honoris in publico, majoris gloriae pondus habeat in occulto. Sicut ait praedicator egregius: «Quod momentaneum, inquit, et leve est tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis (II Cor. IV).» Enimvero mihi videtur servus ille Dei, quem diximus, de sancti Spiritus hoc infusione concipere, quod semper vult de Quadragesima in Quadragesimam per varias succedentis abstinentiae vicissitudines currere, et nunquam velit a proposita sacraei hujus numeri linea declinare. Hic est enim numerus, quo coelum cataclysmus aperuit; cum, abolitis iniquitatum sordibus, mundi faciem divina pietas innovavit (Gen. VII). Per hujus numeri continentiam Moyses scripta digito Dei legis mandata promeruit (Exod. XXIV): per hanc et Elias usque ad montem Dei Horeb indeficua gressuum agilitate pervenit (III Reg. XIX). Accedit huic numero longe clarior gloria, cum et ipse Dominus et quadraginta diebus jejunavit in deserto (Matth. IV), et totidem horis postmodum jacere dignatus est in sepulcro (Marc. I). Post Resurrectionem quoque quadraginta diebus cum discipulis deguit (Luc. IV), donec ad majestatis paternae consessum victor ascendit (Act. I).

Quod ergo frater illo hujus sacri numeri mysterio delectabiliter pascitur, ut intra metam ejus per salutaris semper abstinentiae vicissitudines transferatur, divini procul dubio Spiritus promovetur instinctu, ut, dum intra quadragenarii numeri modum jugiter graditur, ex

**Aegypto cum Israelitis ad patriam se properare testetur. Per hunc enim numerum Israeliticus populus terram repromissionis ingressus est (Num. XIV; Deut. XXIX; Jos. V). Et, o quam profundi, quamque admirabilis altitudo mysterii! quia per quam sacramenti lineam Deus est conversus ad homines, per hanc homo reversus est ad auctorem. In egressione quippe filiorum Israel ex Aegypto quadraginta duae sunt mansiones, et adventus Domini Salvatoris in mundum per quadraginta duas nihilominus generationes inducitur, quas videlicet evangelista Matthaeus enumerat, dicens: «Ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim, a David usque ad transmigracionem Babylonis generationes quatuordecim, a transmigracione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim (Matth. I).» Ipso ergo numero Dominus in Aegypti hujus ima descendit, quo populus Israel ad terram repromissionis ascendit. Descendit, inquam, ille, ut iste ascenderet. Ille servitutis induit formam (Philip. II), ut iste de servitutis ergastulo liber exiret. Et observanter Moyses posuit, dicens: «Ascenderunt filii Israel cum virtute sua (Exod. XIII).» Quae est enim electorum virtus, nisi Christus, qui est virtus Dei? (I Cor. I.) Qui ergo ascendit, cum ipso ascendit qui ad nos non necessitate, sed dignatione descendit; ut illud verum esse non dubitetur, quod per Apostolum dicitur: «Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut adimpleret omnia (Ephes. IV).»**

## **CAPUT II.**

**Contra eos qui litteraliter tantum sacram Scripturam intelligunt.**

**Sed quia nos ex occasione praedicti fratris in materiam hujus disputationis incidimus, non otiosum credimus si in ea paulo diutius immoremur; praesertim cum nonnulli, divinae rationis ignari, frivolum**

conquerantur atque superfluum ut in Ecclesia legatur istarum descriptio mansionum. Arbitrantur enim haec scire vel legere nil penitus utilitatis afferre: putantes quod rem tantummodo gestam narret historia, et hanc cum ipsa tunc vetustate transisse, neque nunc ad nostram aliquatenus notitiam pertinere. Sed si subtiliter ipsa Scripturae verba perpendimus, quam extremae dementiae sit hoc dicere, luce clarius invenimus. Ait enim historica series: «Et hae mansiones filiorum Israel, ex quo exierunt de terra Aegypti cum virtute sua in manu Moysi et Aaron;» moxque subintulit: «Et scripsit Moyses profectiones eorum per verbum Domini (Num. XXXIII).»

Audistis quia scripsit haec Moyses per verbum Domini? Et quis hoc audeat dicere? imo quis temerario praesumat ore garrere ut quod Domino iubente conscribitur, nil utilitatis, nulla conferat emolumenta salutis? Aggrediar ergo, frater mi, si tibi onerosum non est, mansionum illarum figuras summatim ac succincte perstringere, et quod ex dictis Patrum indagare potuerim, compendiosis verbis breviter annotare, ut querelusus quispiam ex gustu micarum labentium colligat quam nectareis dapibus pleni ferculi mensa redundat.

Notandum autem quoniam omnis ille discursus, ut quidquid illic gestum historialiter legitur, totum in nobis per mysterium spiritualis intellectus impletur. Quod enim tunc visibiliter gestum est, nobis per spiritualem intelligentiam congruit, nostro tempore vetus illud saeculum militavit. Haec enim, ut ait Apostolus, «in figura contingebat illis (I Cor. X).» Nos enim de fornace Aegyptiacae servitutis egredimur, et terram repromissionis ingredi per plurima mansionum loca, hoc est, per diversa virtutum incrementa conamur. Sed quoniam absque tribu sola Levi, Patrum pene omnium cadavera prostrata sunt in deserto, ad terram autem illam filii tantummodo pervenerunt, expedit ut vetus homo

noster intereat, et novus, qui secundum Deum creatus sit (Ephes. IV), ad obtinendam terram viventium convalescat. Quod autem tribus Levi cum caeteris in deserto non periit, hinc manifeste colligitur, quia, postquam omnium Israelitarum numerus a viginti annis et supra, S. Moyse supputante, descriptus est, praesto subjunctum est: «Levitae autem in tribubus familiarum suarum non sunt numerati cum eis (Num. II).» Dicit enim Dominus ad Moysen: «Tribum Levi noli numerare, neque ponas summam eorum cum filiis Israel (Num. I).» Postmodum vero Scriptura dicit: «Hic est numerus filiorum Israel, qui descriptus est a Moyse et Eleazaro sacerdote, inter quos nullus fuit eorum qui antea numerati sunt a S. Moyse et Aaron in monte Sinai (Num. XXVI).» Praedixerat enim Dominus quod omnes morerentur in solitudine. Quibus videlicet historiae verbis patenter ostenditur quia, caeteris in deserto prostratis, ad repromissionis terram Levi tribus incolumis et illibata pervenit. Quisquis ergo se potuerit in sacerdotum vel Levitarum ordine constituere; quisquis noluerit cum reliquis hominibus in terra sortem haereditariae portionis acquirere, sed solum cum tribu Levi contentus sit Dominum possidere, iste profecto in hujus mundi deserto non moritur, sed terram repromissionis ingredi vivus et incolumis promeretur. Qui ad promissiones ergo Patrum pervenire desiderat, haereditatis in terra funiculum cum tribu Levi possidere contemnat. Nam qui se pro terrenis in terram dejecit, qui sese, ubi cum amaritudine Pascha celebrandum est, ac velociter transeundum, diutius gaudere confidit: «Anima, inquit, habes multa bona reposita in annos multos, requiesce, comede, bibe, epulare; non sine causa meretur audire: Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te; quae autem parasti, cujus erunt?» Hic itaque non die, sed nocte perimitur, sicut primogenita Aegyptiorum. Nimirum qui non sprevit Aegyptum, sed obsequium praebuit rectoribus tenebrarum, qui et ipsi nocte animam ejus repetunt; quoniam odit lucem, nec justitiae consecutus

**est veritatem. Sed dum vagantius ad exteriora progredimur, jam quasi praemissae sponsionis obliti, nunc ad Israelitarum mansiones, in quibus aliquantulum immoratuos nos esse promisimus, jam quodam, ut ita loquar, postliminio redeamus.**

### **CAPUT III.**

**Quod descensio Christi ad nos fuerit per quadraginta duo gradus.**

**Itaque, sicut dictum est, in quadraginta duabus mansionibus pervenerunt filii Israel usque ad principium capiendae haereditatis (Num. XXXIII). Principium vero capiendae haereditatis fuit, ubi Ruben et Gad et dimidia tribus Manasse accipiunt terram Galaad in possessionem. Porro autem, sicut illi ascenderunt per quadraginta duas mansiones, ita Salvator noster in Aegyptum mundi hujus descendit per totidem patres. Quod si jam intelligimus quantum sacramenti numerus iste contineat, humanae scilicet ascensionis, et divinae descensionis, incipiamus jam per ea quae descendit Christus ascendere; et primam nobis eam mansionem, quam ipse novissimam habuit, aedificare. Si quis enim ad nos per loca quaelibet veniat, ut mox rediens per loca nos eadem ducat; ubi desinit ille, nos iter incipimus, et ubi ille coeperat, nos finimus. Prima scilicet Christi generatio coepit ab S. Abraham, ultima vero velut postrema mansio terminavit in Virginem. Et quoniam S. Abraham interpretatur, pater excelsus, nos hoc iter incipimus a Virginis partu, ut peragrantes sequentia deinceps mansionum loca, postremo ad Deum, Patrem videlicet perveniamus excelsum. Partus ergo Virginis nobis ex Aegypto exire volentibus in primis occurrit, cum, Verbum Dei carnem factum in hunc mundum venisse credentes, relictis omnibus caducis et transitoriis, in illo solo requiescimus, in illo nostrae quietis et spei habitaculum collocamus.**

Post haec jam si perficere, et ad singulos quosque fidei et virtutum gradus ascendere nitimur, tandiu debemus immorari, donec valeant virtutes in consuetudinem verti. Et tunc non quasi transcurrere spiritualis vitae deserta conspicimur, sed mansionem facere, vel etiam habitare in ipsis virtutum profectibus judicamur. Nam qui bonum opus non perseveraturus incipit, quasi viam properando transcurrit; qui vero in ea quam semel arripuit, permanet sanctitate, ibi quodammodo aedificat mansionem. Et notandum quia cum ire, et manere, ac per hoc iter, et mansio a se sint penitus dissona, nec sibimet invicem congruant, utrumque tamen in illo Israelitico procinctu convenisse Scriptura confirmat, ut illi per desertum et iter habuisse dicantur et mansiones. Quia nimirum nos, qui terram viventium intrare contendimus, et manere debemus per fixum professionis nostrae propositum, et ire semper per meliorandae conversationis et cumulandi profectus argumentum.

In primis ergo proficiscuntur filii Israel de Ramese. Ramese, sicut nonnullis videtur, in nostra lingua, commotio turbida, vel commotio tineae dicitur. In quo datur intelligi quod omnia quae mundi sunt, in commotionibus et perturbationibus constituta, et corruptelae, quam tinea designat, probantur obnoxia. In quibus utique non oportet animam residere, sed incunctanter exire. Quidam vero Ramese interpretari commotionem, vel tonitruum putaverunt. Quod utique nobis aptari non incongrue poterit, quia, dum ad praedicationem evangelicae tubae commoti fuerimus, velut ad tonitruum coelestium nubium excitati, ex Aegypto mundi hujus eximus. Exierunt autem illi mense primo, quintadecima luna, in ipso scilicet plenilunio, ac veris exordio. Et nos cum summae lucis radiis illustramur, cum in nobis bonae voluntatis flores erumpunt, cum omnia renovantur, cum prata denique nostrorum cordium



superni solis fomite recalescunt, tunc ex Aegypti tenebris egredi festinamus.

Secunda mansio fit in Sohot. Sohot autem interpretatur tabernacula. Primus igitur animae profectus est ut terrenis se commotionibus dividat, sibique tanquam peregrinae et incolae non habitaculum figat, sed exsili tabernaculum struat; lugens cum Propheta: «Heu me, quia incolatus meus prolongatus est!» (Psal. CXIX.)

Deinde veniunt in Ethan, sive, ut Septuaginta interpretes dicunt, Buthan, quae est in extremis finibus solitudinis. Ethan fortitudinem sonat. Qui ergo jam pro Deo peregrinantur in mundo, qui se incolas et exules recognoscunt, necesse est ut quanto magis se praebent in terrenis actibus debiles, tanto sint in humilitate ac patientia fortiores. Buthan autem vallis interpretatur, quod ab eodem sensu nequaquam discrepat. Oportet enim ut quisquis ad terram viventium properat, ad perferenda tentationum jacula in humilitatis et patientiae convalle persistat.

Inde profecti sunt in Phiahiroth, quae respicit Beelphegor, et castramentati sunt ante Magdalum. Phiahiroth interpretari dicitur, os nobilium, per quod exprimitur lingua doctorum. In convalle quippe patientiae constitutus, quo gravius vel persecutionum vel carnalium tentationum flagellis atteritur, eo magis necesse est ut ei ab ore nobilium, id est, a sanctorum doctorum exhortationibus succurratur. Si vero non Phiahiroth sed Osiraath proferendum est, ut alia testatur editio, sciendum est quod Iraath, vicus interpretatur. Ad os ergo, hoc est, ad primum vici hujus venit ingressum, quod significat novae conversationis initium. Unde non ad urbem, sed ad vicum veniunt; quia necesse est ut novitii quique interim se intra suburbanae vitae cohibeant modum, nec praecipitanter adhuc audeant senatoriae

perfectionis attentare fastigium. Unde bene dicitur quoniam Arioth respicit Beelsephon (Num. XXXIII). Beelsephon siquidem interpretatur ascensio speculae, sive turris. A parvis enim ad magna conscenditur. Non enim haec mansio fuit in ipsa specula, sed respiciebat speculam. Quia novitius quisque, et si ad speculativam vitam jam per desiderium tendat, necdum tamen ad speculativae perfectionis culmen aspirat. Quamobrem illic apte subjungitur: «Et castrametati sunt ad Magdalum (Ibid.).» Madgalus magnificentia dicitur. Noviter enim quis ad Dei servitium veniens, ascensionem speculae, et magnificentiam jam quidem in conspectu suo per intentionem tenet, sed per effectum virtutis necdum possidet. Quia licet spe contemplationis ac perfectionis jam pascatur et nutriatur, necdum tamen consummatae munditiae vel supernae gratiae nitore perfruitur. Ut si Beelsephor interpretatur, dominus Aquilonis, sicut a quibusdam dicitur, quid per hunc Aquilonis dominum, nisi antiquus hostis exprimitur, qui frigidis et ab amore Dei alienis cordibus principatur? Ante hunc ergo, id est contra hunc castrametamur, cum adversus eum infoederabili dimicatione conflagimus.

Inde profecti per mare Rubrum venerunt in Mara, quae interpretatur, amaritudo. Rectus scilicet ordo est ut qui ad terram properant melle manantem, in deserto vitae hujus laboris et tentationis amaritudinem hauriant; et per disciplinae praesentis asperitatem perveniant ad remunerationis internae dulcedinem. Unde dicit Apostolus: «Omnis, inquit, disciplina in praesenti quidem non videtur esse gaudii, sed moeroris; post autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiae (Hebr. XII).» In procinctu siquidem spiritualis militiae constitutis, modo amara dulcibus, modo dulcia miscentur amaris; ut per haec experiatur humana conditio et quid a se patiat infirmitatis, et quid a Deo debeat sperare virtutis. Sicut eidem populo dicitur: «Afflixisti te, et cibavi te

manna in deserto, nesciebant patres tui, donec dignosceretur quid esset in corde tuo (Deut. VIII).»

## CAPUT IV.

### Quod apostoli sint duces populi Christiani.

Unde sequitur quia, profecti de Mara, venerunt in Elim, ubi duodecim erant fontes aquarum, et septuaginta palmae. Vides post tentationis amaritudinem ad quantam deveniunt et dulcium pomorum et aquarum profluentium amoenitatem. Per tentationis itaque pugnam, perducuntur ad palmas, et per sitis intolerandae penuriam, ad irriguam veniunt aquarum viventium affluentiam. Animarum quippe medicus omnipotens Deus sic omnia ordinate dispensat, ut, tanquam melle pigmentis infuso, et tristibus laeta, et laetis tristia misceat; quatenus mens infirma et aliquando percussa nunquam de prosperitate superbiat, et aliquando refota, in adversitatibus non succumbat. Elim praeterea interpretatur arietes, qui nimirum sunt gregum sequentium duces. Qui vero sunt duces rationalis gregis, hoc est, populi Christiani, nisi sancti apostoli? Hi nimirum sunt duodecim fontes ariditatem mentium doctrinae coelestis fluoribus irrigantes. Verum quia non illos duodecim duntaxat apostolos Salvator noster elegit, sed et alios septuaginta constituit; idcirco non solum duodecim fontes, sed et septuaginta describuntur illic arbores fuisse palmarum. Nam et ipsi apostoli nominantur, sicut et in beati Pauli verbis agnoscitur. Cum enim de Resurrectione Salvatoris ageret: «Visus est, inquit, Cephae, et post haec illis undecim, deinde apparuit apostolis omnibus (I Cor. XV).» Ex quibus verbis manifeste colligitur quod, praeter illos duodecim, et alii discipuli non inconvenienter apostoli nominentur.

**Sed egressi de Elim, juxta mare Rubrum fixere tentoria. Nota, quia non mare rursus ingrediuntur, sed juxta mare tabernaculum figunt: ut mare tantum et procellarum cumulos procul aspiciant, nequaquam tamen motus ejus et impetus pertimescant. Nos etiam post tentationum fluctus, post undisoni maris formidolosa naufragia, eadem saepe mala quae pertulimus, ante oculos ponimus: ut jam, velut in littore constituti, dignas ereptori nostro Deo gratias referamus.**

**Profecti quoque de mari Rubro applicuerunt in desertum Sin. Sin interpretatur, rubus, sive tentatio. Incipit ergo Christi militi jam prosperitatis spes arridere, et colloctionis divinae verba promittere. De Rubo siquidem Dominus apparuit, et S. Moysi ad filios Israel perferre mandata praecepit (Exod. II). Illic ergo tibi datur sperandae clementiae signum, ubi factum est Israeliticae visitationis initium. Sed non otiose Sin etiam tentatio dicitur. Solet etiam saepius et in visionibus intervenire tentatio, dum nonnunquam spiritus iniquitatis transfiguratur se in angelum lucis (II Cor. VI). Et ideo subtiliter est agendum, ut discernantur genera visionum. Sicut et Jesu Nave cum angelum cerneret, et tentationes aliquando hujusmodi visionibus inesse nullatenus dubitaret, protinus ab eo qui apparebat, requisivit, dicens: «Noster es, an adversariorum? (Jos. V.)» Nam et per Apostolum discretio spirituum inter dona sancti Spiritus enumeratur (I Cor. XII). Quod autem Sin etiam odium interpretari dicitur, neque hoc quidem a spirituali exorbitat intellectu. Quisquis enim pervenit ad visionem vel allocutionem Dei, confestim concipit odium mundi.**

## **CAPUT V.**

**Quod languores animae sint vitia, mors vero peccata criminalia [mortalia].**

**Sed et inde progressi, venerunt in Depthca: sive ut alia translatio perhibet, Raphaca (Exod. III). Dephtca denique pulsatio dicitur. Et nos postquam pertingimus ad Ecclesiam, quam videlicet Rubus ille significat, ubi Dei meretur homo colloquium, ubi visio conspicitur angelorum, tunc incipimus petere, quaerere, ac regni coelestis arcana pulsare, Domino praecipiente et pollicente, qui dicit: «Pulsate, et aperietur vobis (Matth. VII; Luc. XI).» Si vero Raphaca quis malit admittere, quae sanitas dicitur: hoc nomen animae dudum languidae, sed jam per donum sanctae Ecclesiae languoris nexibus absolutae convenienter aptatur. Haec est enim anima cui dicitur: «Benedic, anima, mea Domino, et omnia interiora mea nomini sancto ejus (Psal. CII).» Quem, quaeso, Dominum? Qui sanat, inquit, omnes languores tuos, qui redimit de interitu vitam tuam. Languor scilicet animae vitia sunt, mors animae peccata criminalia [mortalia] sunt. «Peccatum enim cum consummatum fuerit, generat mortem (Jac. I).»**

**Deinde veniunt in Halus. Halus interpretatur, labores, sive fermentum. Et certe sanitatem labores sequuntur, quoniam ad nil aliud sanitatem sancta debet anima concupiscere, nisi ut labores pro Deo valeat pressurasque perferre. Ideo nempe socrus Petri de febre convaluit, ut Domino per sedulitatis obsequium ministraret (Matth. II; Marc. XII). Ideo per Ananiam sanatus est Paulus (Act. IX), ut continuis postmodum laboribus insudaret. Hinc est quod eidem Ananiae de illo dictum est: «Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati (Matth. XIII).» Quod autem Halus etiam fermentum interpretari dicitur, et hinc nobis congruae significationis intellectus offertur. Haec est enim fermentum illud quod tollens mulier commiscuit in farinae satis tribus, donec fermentaretur totum (Luc. XIII), id est, sanctum Evangelium. In hac siquidem solitudine populus murmuravit, et manna simul et coturnices accepit. Et cum**

**non modo fermentum, sed et manna sacrum significet Evangelium, miro modo haec simul in decima mansione conveniunt: ut post legis praemissae decalogum, panis Evangelii succedere videatur.**

**Posthaec veniunt in Raphidin. Interpretatur itaque Raphidin laus iudicii. Et certe satis congrue, ut et labor antecedit laudem, et laus proveniat post laborem. Verum non cujuscunque rei, sed laus iudicii, quae videlicet de rationis iudicio prodeat, non laus quae de superbiae vanitate procedat. «Spiritualis enim homo iudicat omnia, et a nemine iudicatur (I Cor. II).» Reperiuntur et aliae horum nominum interpretationes; sed si cuncta, quae nobis in hac materia suggerunt, amplectimur, jam non servabitur epistolaris ordo compendii, sed onerosi consurget enormitas libri. Israelitarum ergo mansiones succincte transcurramus, non ut earum scrutemur arcana cubacula, sed ut in earum nominibus, tanquam exteriora parietum simpliciter ostendamus.**

**Deinde veniunt in desertum Sinai. Sim, quam superius diximus, et Sinai, unum non ambigitur esse desertum; sed Sin dicitur ipsa planities. Sinai vero mons est in eadem supereminens solitudine, in quo nimirum Dominus legis edicta promulgat, et Moyses tabernaculum fabricat (Exod. XXIV). Et hoc aptissime congruit, ut postquam rationalis anima rectum ac per hoc laudabile coeperit habere iudicium, tunc in se Deo suo construat tabernaculum, et digna jam Creatoris alloquio, coelestium percipiat mysteria mandatorum.**

**Post haec profecti sunt ad sepulcra concupiscentiae, ubi scilicet pulcher ordo contextitur. Nam cum felix anima suo sit tabernaculum Creatori, cum mandatis divinae legis intenta jam coeperit coelestia contemplari; mox aestuantium vitiorum ardor exstinguitur, et omnis carnalis illecebrae concupiscentia sepelitur; ut non jam caro se**

**adversus spiritum moveat, non adversus carnem spiritus concupiscat (Gal. V).**

**Inde transitur in Aseroth, quod interpretatur, atria perfecta, vel beatitudo. Et, o quam pulcher ordo mysterii, quam decora series spiritualis incrementi! ut postquam sepelieris concupiscentias carnis, praesto pervenias ad atrium perfectionis et praemium beatitudinis. Felix anima, quae nullis jam vitiis carnis urgetur, quia mox ad beatitudinem percipiendae remunerationis ingreditur!**

**Post haec venerunt in Rethma, sive Pharam. Rethma, ut opinamur, interpretatur, visio consummata; Pharam vero, visibile os. In quibus quid aliud intelligitur, nisi ut sancta quaelibet anima post sepultas jam carnis concupiscentias, perducta jam ad atrium perfectionis, secunda de praemio beatitudinis ad consummatam mox Dei visionem veniat, ejusque visibile os, hoc est, praesentem Dei speciem cernat? Nunc enim videmus eum, sicut dicit Apostolus, in speculo, et in aenigmate; tunc autem facie ad faciem (I Cor. XIII): et nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum. Quae tamen omnia, quia sancti quilibet in carne constituti, habere nequeunt pleniter in re, jam habent in spe, quam scilicet spem jam firmissimam tenent; quia Spiritum sanctum, qui eos in viae hujus laboribus roborat, pignus habent. Unde et illa interpretatio, qua Rethma sonitus, sive juniperus dicitur, non incongrua judicatur. Ferunt enim lignum hoc ignem in se longo tempore conservare (PLIN. lib. XVI, cap. 25); adeo ut si prunae ejus fuerint cineribus adopertae, usque ad annum ignitae perveniant. Quia ergo Spiritus sanctus, sicut legitur, scientiam habet vocis (Sap. I), et in apostolos missus est in specie ignis (Act. II); haec interpretatio, qua Rethma sonitus, vel juniperus dicitur aptissime Spiritui sancto convenire videtur.**

Hinc itaque digressi, castrametati sunt in Remon Phares, quod apud nos, excelsa intercisio dicitur. Nam cum animae redeuntis ad Deum intellectus augetur, mox ei datur perfecta notitia, qua scilicet excelsae atque sublimiter novit et terrena a coelestibus intercidere, et caduca quaelibet ac transitoria a perpetuis separare. Si vero Remon Phares, ut alibi reperitur, mali punici divisio dicitur, per hoc procul dubio sancta designatur Ecclesia, quae tanquam multa grana uno cortice contegit, dum omnem credentium turbam inseparabili catholicae fidei unitate concludit.

Deinde transeunt in Lebna, quod interpretatur, dealbatio. Non autem ignoramus dealbationem aliquando pro crimine poni, sicut dicuntur monumenta dealbata, et paries dealbatus, sed hic illa dealbatio debet intelligi de qua per Isaiam dicitur: «Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, ut lana alba erunt (Isa. I).» Et in psalmo: «Nive dealbabuntur in Selmon (Psal. LXVII).» Et in Apocalypsi: «Capilli Jesu tanquam lana alba referuntur (Apoc. I).» Quapropter hic dealbatio convenienter intelligitur de verae lucis splendore prodire, et de summae visionis claritate descendere. Quod si Lebna, ut quidam dicunt, in laterem vertitur, in quo videlicet opere Israeliticus in Aegypto populus coactus est laborare; hoc datur intelligi, quia sicut illi post tam sublimia loca rursus in laterem veniunt; ita nos quandiu in hujus mundi deserto peregrinamur, necessitate compellimur aliquando a summis ad ima descendere, et a spiritualibus ad terrenae actionis opera transmigrare.

Post haec veniunt in Ressa, quod in frenos vertitur, et non incongrue. Si enim post perfectionis culmen ad opera lutulenta descendimus, disciplinae nexibus, et poenitentiae loris infrenandi sumus, ne vagemur per abrupta praecipites, sed cito redeamus ad consuetae



munditiae puritatem. Interpretatur etiam Ressa visibilis, sive laudabilis tentatio. Quamvis enim mens cujuslibet justi viri, jam ad alta proficiat, tentatione tamen adhuc in ima deprimitur, ne per tumorem superbiae de virtutibus extollatur. Stimulus enim tentationis ad custodiam adhibetur humilitatis. Unde dicit Apostolus: «Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae angelus Satanae, qui me colaphizet (I Cor. XII).» Haec ergo tentatio visibilis est, quia manifesta; laudabilis, quia salutifera.

## **CAPUT VI.**

### **Quod caro in tentatione subjicienda spiritui.**

Inde progressi veniunt in Ceelatha, quod interpretatur, ecclesia; ut videlicet instabiles quique, qui se per vitiorum abrupta praecipitanter impellunt, sacrae Scripturae frenis ad Ecclesiam retrahantur; sive quod alia tenet editio, Machebat, quod est principatus virgae. Quod utrumque potestatem videtur exprimere. Carni quippe, quae tentatur, necesse est ut praesidens spiritus principetur. Ut cum illa abjiciat pugnam, iste quasi desuper intentet minaciter virgam, dum rigidi terroris adhibet disciplinam.

Exinde venit in montem Sepher, sive Sephar, quod tubicinatio appellatur. Tuba signum est belli. Equus enim Dei odoratur bellum, et cum audierit buccinam, dicit, vah (Job XXXIX); et miles Christi cum se persenserit vitiorum ingruentium tentatione vallatum, virtutum protinus arma corripiens, procedit ad praelium; et cominus in bella concreditur, ne degeneri torpore solutus, ab adversariis facile perimatur, et tunc poterit gloriosius tuba canere, hoc est, ad spirituale certamen et alios provocare.

Unde illic dicitur, quia inde profecti venerunt in Harada, sive quod alibi dicitur, in Charadath, quod in nostra lingua sonat, idoneus effectus; ut ipse nimirum jam praedicator factus, merito valeat cum Apostolo dicere: «Qui idoneos nos fecit ministros novi testamenti (II Cor. III).»

Sed et inde proficiscentes, veniunt in Maceloth, quod interpretatur, ab initio. Quisquis enim ad perfectionis summam contendit, omnium rerum contemplatur initium, dum cuncta viscerum suorum vota convertit ad Deum. Et dum cor ad auctorem suum jugiter dirigit, a rerum omnium initio non recedit. Vel si Maceloth, ut quidam sentiunt, dicatur esse conventus, per hoc Ecclesia intelligitur, in qua videlicet a cunctis fidelibus convenitur. Unde canitur: «Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum (Psal. CCXXXII).»

Deinde venitur in Tharath, vel, sicut alibi legitur, in Caath, quod est patientia, vel confirmatio. Quisquis enim desiderat terram viventium per praesentis vitae labores ingredi, necesse est eum ad toleranda mundi pericula per patientiam confirmari. Vel si Thahath, ut a quibusdam dicitur, vertitur in pavorem, dicatur unicuique certanti, vel jam forte per divinam gratiam triumphanti: «Noli altum sapere, sed time (Rom. XI).»

Sed inde profecti veniunt in Thare, quod Graece quidem ecstasis interpretatur, in nostra vero lingua dicitur contemplatio. Consequens est enim, ut quisquis antea probetur per patientiam, proinde ad contemplationis perveniat gratiam; et qui prius in tribulatione deprimitur, postmodum ad visionis intimae laetitiam sustollatur. Sin autem Thare, sicut quidam putant, astutia, vel malitia debet intelligi, hoc ad Ecclesiarum praepositos non immerito videtur posse referri; ut ipsi suis auditoribus timeant, qui in tentationum

tribulatione laborant. Astutia enim, et malitia illius cavenda est, de quo dicitur: «Quoniam adversarius noster tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret (I Petr. V).»

Deinde procedunt in Methca, vel, sicut alibi legitur, Maathica, quod interpretatur, mors nova. Nunquam tam perfecte diabolica cavetur astutia, quam si Christo commorimur; ut tanquam insensibiles ad hostis callidi tentamenta reddamur. Quam novam mortem contemplatio parit, quae scilicet et mundum nobis, et nos mundo mortuos efficit. Quod si Methca, ut quibusdam placet, in dulcedinem vertitur; quid mirum, si de contemplatione ad dulcedinem veniatur, cum ipsa contemplatio nil aliud sit, quam ineffabilis, et immensa dulcedo?

Post haec venit in Hesmona, quae festinatio dicitur. Nam postquam pertingimus ad dulcedinem contemplationis, moram non ferimus tarditatis. O quam moleste moram patiebatur ille, qui dicebat: «Utinam dirumperes coelos, et descenderes, et liquefierent montes a facie tua (Isa. XLVI).» Quam graviter hanc moram ferebat ille, qui dicebat: «Cupio dissolvi, et esse cum Christo (Philip. I),» multo magis melius. Sin autem a Senna dicatur quod ossa significat, hoc ad robur constantiae pertinet. Quod necesse est, ut Christi amator habeat, ne per amorem nimium impatiens fiat.

Hinc jam transitur in Mosoroth, quod significare putatur, excludens. Anima quippe, quae ad perfectum sponsi sui amorem pervenit, tentationes a se callidi corruptoris excludit. Unde et Apostolus: «Nolite, inquit, locum dare diabolo (Ephes. IV).» Quod si Moseroth, juxta quosdam interpretatur vincula, sanus per omnia, et congruus intellectus elucet. Nimirum sancta quaelibet anima, quae coelesti sponso in amore conjungitur,

necesse est ut ei assiduis Scripturarum meditationibus, quasi quibusdam vinculis insolubiliter connectatur. De quibus vinculis Christo per Isaiam dicitur: «Viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt, et post te ambulabunt colligati vinculis (Isa. XLV).»

Unde non immerito jam venit in Banaeim, quod significat fontes, vel excolationes, id est, ubi divinarum Scripturarum fontes anima bibit, et excolat, hoc est, subtiliter tractat, et ruminat. Excolat, inquam, cum illud evangelicum servat: Ut ne unus quidem apex, aut unum iota de lege praetereat, quin omnia fiant (Matth. V). Si vero Beneiaacan, sicut quidam dicunt, transfertur in filios necessitatis, sive stridoris, hoc significat, quia quisquis divinis eloquiis eruditus est, et affluenter instructus, necesse est ut post se et alios trahat, ac filios gignat. Quibus nimirum dum fletus, et stridorem dentium minaciter objicit, quodammodo necessitatem eis, ut ad Deum convertantur, imponit. Ii sunt ergo filii necessitatis, vel stridoris, de quibus et propheticè canitur: «Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum (Psal. XXVIII).»

## CAPUT VII.

### Quare tentatio virtuti admisceatur.

Post haec ascendunt in montem Gadgad, quod interpretatur, nuntius, vel accinctio, vel certe concisio. Quibus enim verba Dei annuntiamus, eos procul dubio commonere debemus, ut et se virtutum armis accingant, et invisibilium hostium spiritualibus gladiis terga concidant. Quod dum eos agere non segniter edocemus, cum eis simul ad montana conscendimus. Quod si Gadgad, ut quidam putant, tentamenta significat; datur intelligi, quoniam his, qui ad coelestem patriam tendunt, tentationes deesse non possunt. Et saepe tentatio

**virtutibus admiscetur, ut laborioso Christi militi merces uberius acquiratur.**

**Et quia per mala tentationum ad praemiorum bona transitur, congrue sequitur, quoniam inde profecti venerunt in Jetebatha, sive, ut alibi legitur, Jatbatha, quod interpretatur, bonitas, sive bonum. Ergo per experimenta tentationum ad bonitatem, quae procul dubio Christus est, pervenitur.**

**Inde profecti sunt in Ebrona, quod transitus appellatur. Animo quippe transeunda sunt omnia; et in eum solum debes obtutum mentis infigere, cum quo sine transitu valeas permanere.**

**Post haec veniunt in Asiongaber, quod interpretatur, consilia viri. Postquam enim nos in Christum omnino projicimus, postquam in eum omnem cordis nostri fiduciam collocamus, esse pueri sensibus ulterius non debemus, imitantes Apostolum, qui dicit: «Cum autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli (II Cor. XIII).» Et iterum: «Nolite pueri effici sensibus (II Cor. XIV).»**

**Sed quoniam qui apponit scientiam, apponit dolorem, iterum veniunt in desertum Sin, quae est Cades. Sin autem tentationem interpretari, jam superius diximus. Sicut enim vas aureum, vel argenteum saepe malleus percutit, saepe lima hinc inde poliendo circumdat, ut clarius fiat (Eccle. X); sic iterata tentatio, constantis, et non cedentis animae rubiginem purgat. Vas enim figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (Eccli. XXVII). Et quia Cades, fructificatio sancta dicitur, vides quoniam tentationum sulcos sancta fructificatio subsequatur.**

**Sed et hinc applicuerunt in montem Hor, in extremis finibus Edom. Hor, montanus interpretatur. Quisquis enim**

tentatus non labitur, sed de tentatione fructificat, consequens est ut ad montem, qui Christus est, victor ascendat. Hic est enim mons ille coagulatus, mons pinguis (Psal. LXVII), de quo per prophetam dicitur: «Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes (Isa. II).» Hic mons dicitur montanus, quia ubi Christus, ibi et procul dubio Christianus. «Ubi sum, inquit, ego, illic et minister meus erit (Joan. XII).»

Deinde veniunt in Salmona, quod interpretatur, umbra portionis. Et merito postquam in montem, qui est Christus, ascendimus, vitiorum fugientes ardorem, sub defensionis ejus umbraculo residemus. De qua videlicet umbra per Jeremiam dicitur: «Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus (Thren. IV):» et angelus ad Mariam: «Virtus, inquit, Altissimi obumbrabit tibi (Luc. I).» Salmona etiam, ut alicubi reperitur, imaguncula dicitur: quod utique loco illi non absurde congruit, dum ibi aeneus ille serpens appensus sit (Num. XXI; Joan. III), qui crucifixi repraesentat imaginem Salvatoris.

## CAPUT VIII.

### Quod oris parcimonia transitus sit in Phinon.

Fit praeterea transitus in Phinon, quod interpretatur os, vel oris parcimonia. Et os quidem, quia mox ut passionis Christi sacramenta cognoscimus, quod corde credimus, ore pronuntiamus; sicut scriptum est: «Credidi propter quod locutus sum (Psal. CXV).» Et Apostolus: «Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (Rom. X).» Oris vero parcimonia dicitur; quia dum tam profunda redemptionis humanae mysteria penetrare non possumus, quasi ori nostro digitum superponimus, ut divinitatis Christi celsitudinem majoribus relinquentes, de

**sola tantum ejus cruce tractemus. Sicut dicit Apostolus: «Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (I Cor. VIII).»**

**Post haec profecti sunt in Oboth, quod utique vertitur in magos, sive pythones. Propter quod datur intelligi, quia post imaginem Dei, quae in cordis ratione concipitur, post acceptam fidem, quae oris confessione profertur; consurgunt adversum nos haeretici, errorem venenatae perfidiae dogmatizantes, tanquam pythones, et magi malefica incantationum carmina conspergentes.**

**Hinc transitur in Gebarim, quae est in finibus Moabitarum. Gebarim significat acervos lapidum transeuntium. Isti porro sunt lapides vivi, sancti scilicet, ex quibus non modo Hierusalem superna construitur, sed et praesens Ecclesia tanquam margaritis coruscantibus adornatur. Qui merito transeuntes dicuntur, quia terrena quaelibet, ac transitoria mente calcant, atque ad coelestia transire festinant. Si vero non Gebarim, sed Gai dicatur, quod alia testatur editio, et hoc ab intellectu transeuntium non aberrat. Gai siquidem interpretatur, chaos. Dicit autem Abraham diviti: «Quia inter nos, et vos, chaos magnum firmatum est (Luc. XVI).» Ad illum ergo sancti semper transire desiderant, ut in ejus sinu, sicut et beatus ille Lazarus, feliciter requiescant.**

**Unde satis apte consequitur, ut post chaos pythonum atque magorum, quod est tenebrosa calliditas haeticorum, praesto veniant in Dibongad, quod significare dicitur, apiarium tentationum. Apes enim ore mella ferunt, sed aculeis pungunt; sic et haeretici, verbis quidem manifeste blandimenta praetendunt, sed quasi post se erroris aculeos contegunt. Primo distillant ore dulcedinem, sed postmodum spargunt aculeatae falsitatis errorem. Unde Propheta conqueritur, dicens:**

**«Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis (Psal. CXVII).»**

**Inde profecti sunt in Helmondeblathaim, quod vertitur in contemptum palatarum, hoc est, ficuum, sive contemptus opprobrii. Ficus autem deliciosus est fructus, per quod intelligitur necessarium esse, ut qui jam donis coelestibus appropinquant, cuncta carnalis illecebrae blandimenta contemnant. Quod si contemptus opprobrii magis admittitur, per hoc indubitanter instruimur, ut si quando vel haereticorum, vel reproborum quorumlibet dehonestamur injuriis, non turbemur. Per quod scilicet utrumque salubriter edocemur, ut nos nec inhonesti contemptus irrisio moveat, nec ulla terrenae dulcedinis oblectamenta resolvant, quatenus de hoc mundo valeamus dicere cum Propheta: «Sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus (Psal. CXXXVIII).»**

**Inde commigrant ad montes Abarim contra Nabo. Abarim, transitus; Nabo, abscessio interpretatur, ubi scilicet anima, quasi per omnes itineris mansiones, ita per cunctas fuerit progressa virtutes; quia jam ad culmen perfectionis ascendit, mente mox transit ex hoc saeculo, et abscedit. Quae nimirum, et si adhuc manere videatur in mundo, in carne tamen, non secundum carnem ambulans (I Cor. X), jam recessit e mundo. Sicut de Enoch dicitur: «Et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus (Gen. V).» Ita quisquis sanctitate perfectus, et mundo jam mortuus pertransiit mundum, et habitat in regione virtutum.**

**Postrema vero mansio est in campestribus Moab super Jordanem contra Jericho. Ad hoc enim tam longi itineris transitus agitur, ad hoc tot aerumnis, ac laboribus per vastam hujus mundi solitudinem suspiratur, ut applicemus ad Jordanem, hoc est, accedamus ad inexhaustam coelestis sapientiae plenitudinem. Juxta**



quam peregrinationis nostrae tabernaculum construentes, ejus fluentis a cunctis nos Aegypti squaloribus properemus abluere, ut purificati terram repromissionis valeamus intrare, ut simus, sicut de sponsa in Canticis dicitur: «Oculi ejus sicut columbae super rivos aquarum, quae lacte sunt lotae, et resident juxta fluenta plenissima (Cant. V).» Et notandum quod profectio ista non in montibus, sed in campestribus desinit; quoniam sancti quique quanto celsiori perfectione sunt praediti, tanto majori sunt humilitate fundati. Qui etiam contra Jericho mansiones aedificant, quoniam adversus mundum, qui per eam designatur, infoederabiliter pugnant. Quibus dicitur: «Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus (Joan. XV).»

## CAPUT IX.

### Epilogi et opusculi conclusio.

Haec tibi, venerabilis frater, de Israeliticis mansionibus summam, raptimque transcurrimus; profundiora vero mysteria vacationi tuae, quae liberior est, reservamus. Inquirendi quidem, vel intelligendi dedimus occasionem, non autem plenae contulimus intelligentiae facultatem. Et nos quidem earumdem mansionum tantummodo quasi januas aperuimus, tuae prudentiae sit eas ingredi, earumque mysteria velut occulta thesauri coelestis talenta rimari. Mihi autem duntaxat obtinuisse sufficiat, ut fatuus quisque nesciens quae loquitur, vel de quibus affirmat, non ulterius garriat haec nihil utilitatis afferre; sed mysticis allegorarium spiritualium sacramentis non dubitet omnia redundare. Nos itaque post metata tot mansionum castra, post tam longae profectionis aerumnas, Aaron et S. Moyse jam defunctis, hoc est, veteri sacerdotio ac lege solutis, sub Josue duce terram evangelicae repromissionis sumus

ingressi. Terram, inquam, lacte ac melle manantem, hoc est, humanitatis Christi atque divinitatis mysteria profluentem; quibus utique jam nil aliud restat, nisi ut in Hierusalem pectoris nostri construamus Domino templum, ita decore virtutum tanquam auri et argenti, omniumque gemmarum varietate conspicuum. In cujus scilicet templi vestibulo duas erigamus hinc inde columnas ad Salomonis exemplum, ponentes et catenulas in earumdem capitibus columnarum. Sicut enim Scriptura testatur: «Unam columnam a dextris, et alteram posuit a sinistris;» ubi mox sequitur: «Eam, quae a dextris erat, vocavit Jachim,» hoc est, firmitas: «et quae ad laevam, Booz (II Paral. III),» hoc est in robore.

Quid enim per columnam, quae a dextris erat, et vocatur firmitas, debet intelligi, nisi dilectio Dei? Et quid per eam, quae a sinistris est, et vocatur in robore, nisi dilectio proximi? Aliud est enim firmitas, hoc est ipsum robur, aliud in robore; quoniam aliud est diligere ipsum Deum, aliud diligere proximum in Deo. In dilectione quippe proximi mensura ponitur; Deum vero diligere sine ulla prorsus mensura jubemur. In vestibulo ergo templi columnam, quae firmitas vocatur, erigimus, cum in hac praesenti Ecclesia, quae coelestis illius Ecclesiae vestibulum est, Deum totis viribus firmiter, et constanter amamus. Ipsa quippe dilectio, sicut Joannes Evangelista perhibet, Deus est (I Joan. IV). Et de Deo Propheta psallit: «Tu es Deus meus, et fortitudo mea (Psal. XLII).» Columnam vero, quae vocatur in robore, in sinistra ejusdem vestibuli parte statuimus, cum proximum nostrum in Deo, sicut nosmetipsos amamus. Ubi notandum, quod Scriptura prosequitur: «Nec non et quasi catenulas in oraculo, et superposuit eas capitibus columnarum (II Par. III).» In nostrae quippe mentis oraculo capitibus columnarum catenulas superponimus, quibus scilicet utramque columnam sibimet invicem connectamus; quia nec Deum sine proximo, nec proximum vere diligimus sine

**Deo. Quod utique templum tu, venerabilis frater, optime potes, Deo manum praebente, construere, qui mutuatus es ab Aegyptiis aurea vasa, et argentea cum vestibus pretiosis (Exod. XI). Thesaurum quippe tollit Aegyptiis, unde Deo tabernaculum construat, qui poetas, ac philosophos legit, quibus ad penetranda mysteria coelestis eloquii subtilius convalescat. Ipse tabernaculum hoc in nostra dignetur mente construere, qui destructum sui corporis templum triduo potuit spatio reformare.**

**Sit nomen Domini benedictum.**